

*absolutam affingit. Solis enim lucem à calore avellere, imò suum ab igne calorem facilius erit, quam DEI potentiam separare à Justitiâ. Facessant igitur procul à piis mentibus monstrosæ illæ speculationes, plus aliquid DEUM posse, quàm conveniat, vel eum sine modo & ratione agere. Quod si Maccovii verba ita explicentur, quasi voluerit: DEUM non posse equidem morte æternâ punire innocentem (quod est opus Justitiæ vindicativæ,) posse tamen simpliciter æternùm affligere vi sui Domini: negamus, Abrahamum de ejusmodi judiciali condemnatione seu pœnâ in loco allegato loqui, cùm simpliciter vocabulo *occidendi* usus sit, pœnæ nullam fecerit mentionem. Deindè si ita sensit Maccovius, uti modò diximus, immeritò profectò attributa Divina sibi invicem opposuit, quasi ideò inter ipsa quædam pugna esset, quod diversa objecta habeant, circa quæ versentur. Hoc sensu enim quæ juxtâ misericordiam fierent, repugnarent justitiæ, & quæ juxtâ justitiam, misericordiæ, quò nihil puerilius dici potest. Sine dubio autem Maccovius eandem cum Twisso opinionem fovit, qui prolixè ostendere conatus est, DEUM quædam posse per potentiam, quæ, si ad justitiam referantur, fieri nequeant. Cui paradoxo & illi favent, qui in Deo duplicem potentiam distinguunt, absolutè consideratam, & modificatè, quatenus virtutibus limitatur, spectatam: in quæ Juris seu Domini Divini evolutione postmodum negant se determinare posse aut velle, quid respectu absolutæ illius potentia DEUS facere queat. Quasi verò effrenis hujusmodi potentia in DEO actu detur vel saltem dari possit, quæ nullum respectum ad reliqua attributa involvat. Certè eadem ratione dicetur, DEI voluntati quædam convenire, quæ non item conveniant bonitati, quod ipsum sine summo scelere ne quidem cogitatur.*

§. 25. Haftenus pro ingenii viriumque modulo suscepti thematicis tractationem diduximus. Tuum erit Ben. L. conatus nostros serenâ fronte accipere, & si quid expectationi tuæ in gravissimâ materiâ, totius Theologiæ summas controversias attingente, non satisfecimus, veniâ dignos judicare. DEO verò, omnium rerum Supremo Moderatori, cujus Gratia acceptum ferimus, quicquid boni in medium attulimus, sit
Laus & Gloria!

F I N I S.

Coll. Miss, A 191, 13